



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117859

§.58. S. Platonis obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

que rejecta pace Bulgarorum Rex urbem Mesembriam, quod ante minatus fuerat, obsidione cingere cœpit. Tunc vero Imperator turbatus suos ad consilium convocat prima Novembris anno octingentesimo duodecimo, atque etiam Nicephorum Patriarcham & Metropolitanas Nicenum & Cyzicenum adesse jubet. Hi tres Antistites suadebant, arripendam esse pacem, quam etiam Imperator cupiebat. At Theodorus Studita & plures alii obsistebant illum Evangelii locum afferentes: *Eum qui venit ad me non ejiciam foras.* Aliis vero videbatur, præferendam esse libertatem permultorum Christianorum, quos Bulgari detinerent, utilitati paucorum Bulgarorum, qui apud Christianos essent; dicere S. Paulum, qui Domesticorum curam non haberet, esse Infideli deteriorem. Præterea non nullos Bulgaros, qui in Regia erant, fuisse remissos, etiamsi transfugæ non essent, & inita pace servari potuissent. Nihilominus vicerunt, qui contrarium sentiebant, pacis conditiones rejectæ, & elapso quadriduo allatum est nuncium, Bulgaros Mesembriam in suam potestatem redegissee.

§. LVIII.

S. Platonis obitus.

Interea S. Plato annos numerans septuaginta
Hist. Eccles. Tom. X. B b b ginta

Sæculum IX.

A.C. 812.

Joan. 6. 37.

Seculum IX. ginta novem in cella clausa non am-
 A. C. 813. plius degebat, quia vires deerant, quibus
 corporis necessitatibus sine alterius au-
 vit. c. 7. n. 41. xilio satisfaceret. Jam in lecto decum-
 bens, jam sedens Psalmos recitabat, Ora-
 tionem mentalem vacabat, fratribus loqueba-
 tur, quos docebat, exhortabatur, conso-
 labatur, nec genua flectere, nec libros
 legere valens. Id vero dolebat maxime,
 quod Officiis Divinis interesse & mani-
 bus suis laborare non posset. Gratias
 Deo agebat pro omnibus obsequiis, quae
 sibi infirmo exhibebantur, pro alimentis,
 pro balneo, quo ex obedientia utebatur.
 Sed non modice affligebatur, quod plu-
 rimum de asperitate vitae dimittere co-
 geretur. In morbum incidit in Qua-
 n. 42. dragesimo anno octingentesimo decimo
 tertio, eumque Monachi exteri, licet a-
 lias illo tempore in solitudinem secede-
 re solerent, invisabant. Ipse Nicepho-
 rus Patriarcha cum omnibus Clericis suis
 venit, petiit ut pro se oraret, & jacen-
 tem amplexus est. Unde apud cunctos
 pristinae inimicitiae suspicio evanuit. Ae-
 grotans omnibus, qui se persecuti fue-
 rant, ignovit & pro iis oravit. Theo-
 doro Abbati interroganti, an de re nulla
 ultima voluntate decernere vellet, ma-
 nu vestem excutiens submississima voce
 respondit: Nihil amplius habeo, omnia
 vobis

vobis dedi. Tandem ægrius spiritum Sæculum IX, A. C. 813.
 trahens labia tamen movens & canticum de Resurrectione recitans animam reddidit. Dies agebatur, qua Ecclesia Græca Lazari a mortuis fuscitati memoriam celebrat, id est Sabbatum ante Dominicam Palmarum, quod illo anno octingentesimo decimo tertio in decimam nonam Martii incidebat.

Credibile est, solemnes Exequias ob V. Pape. præf. n. 8. Menelog. Mart. Rom. 4. April. Vit. Theod. St. n. 55.
 Hebdomadam majorem & deinde Paschalem fuisse dilatas usque ad quartam Aprilis, qua die Ecclesia ejus memoriam agit. Pompam funebrem ipse Patriarcha plurimis cereis ardentibus & multo adhibito thure celebravit. Et tunc sine dubio S. Theodorus Studita pronunciata Oratione funebri S. Platoni Patruo & Patri suo Spirituali parentavit. Nec aliam hujus S. Viri vitam habemus. Vix corpus defuncti tumulo condi potuit, obistente populi multitudine, quæ aspectu carissimi Patris, licet vita functi, satiari non poterat.

Ergo Monasterio Studiensi tunc florentissimo exinde S. Theodorus solus præfuit. Monachi Sacræ Scripturæ studiebant, Divinum Officium magna cura celebrabant, nec ideo laborem manuum negligebant. Imo opera hominum o-

Bbb a pinione

Sæculum IX. pinione vilia maximi faciebant, utique
A. C. 813. aptissima ad conservandam humilitatem
 & ad vitæ necessaria comparanda, quin
 Monachi inopia premente sæpe exire co-
 gerentur, quod pietatem minuit, & Spi-
 ritus stabilitatem evertit. Hinc in ipso
 Monasterio ad omnes artes incumbebant.
 Inerant Cæmentarii, Tignarii, Ferrarii,
 Textores, Sutores, Restiarii, qui mani-
 bus laborantes Hymnos Psalmosque can-
 tabant, ita ut sæcularium animi seduli-
 tatem & modestiam eorum conspicien-
 tium ad cœlestia erigerentur. Cuncti
 Monachorum Studiensium Disciplinam
 laudabant. Multi autem eorum perfe-
 ctionibus aut quacunque demum oc-
 casione dispersi fundarunt Monasteria,
 quæ a Studiensi & Nomen & Disciplinæ
 perfectionem acceperunt.

§. LIX.

*Michael deponitur. Leo Armenus
 Imperator.*

Theoph. p.
425.

Eodem anno octingentesimo decimo
 tertio Michael Imperatore bellum in
 Bulgaros movente, & populo Constanti-
 nopolitano ad Ecclesiam Apostolorum
 inter preces publicas cum Nicephoro Pa-
 triarcha procedente Iconoclastæ & Pau-
 liciani, in tanta hominum multitudine
 laten-